Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Favor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

A comait: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, quod, ſub Endymionis quem Diana in monte altiſſimo conſopitum ſomno oſculatur, imagine adumbrarunt. Ajunt enim Dianam, ut quæ ſiderum vim quam ipſa recipit, ad inferiora transmittat, reginam eſſe & dominá cœleſtium proportionum atq; intelligentiarum: Endymionem vero animam hominis pii ſignificare, cujus amore capti cœlites, ut illam ſibi conjungere poſſint atque oſculari, in alto monte hoc eſt, dum cogitationem & mentem in cœlum attollit, ſomno altiſſimo conſopitam, id eſt, morte hujus corporis. Nam cum corpus impedimento ſit, quo minus perfecte Deo conjungi poſſimus, ſequitur eo ſoluto nos libere in cœlum evolaturos. Quod quantò citius ſit, tanto majores

Cantic. 1.

At Lucian. in Aſtrologia ait illum primum mortalibus Lunæ rationem oſtendiſſe.

B Deo gratias habere debemus: nec tamen recuſare quamdiu ei viſum fuerit, hujus corporis carcerem æquo animo ferre: ſed aſſiduè illum rogare, qui ſolus omnia bona largitur, ut interea ſaltem cupiditates noſtras, quæ nos ab ejus complexu abſtrahere poſſunt, interimat. Quod ut faciat, clementiam ejus ſupplex manus tendens rogo & obſecro.

PACIFICATOR HABITUS. Cap. XXX.

Noluimus hic omittere, priuſquam viriles imagines abſolveremus, quin ea adjiceremus, quæ Quintilianus de pacificatore habitu ſcribit. Sic enim ait: *Fit & ille habitus, qui in ſtatuis pacificator eſſe ſo-*
C *let, qui inclinato in humerum ſiniſtrum capite, brachióq; ab aure protenſo, manum erecto pollice protendit: qui quidem maximè placet iis, qui ſe dicere ſublata manu jactant:* cujusmodi habitus hodie cernitur Romæ in pulcherrima ſtatua, quę pro ęde Lateranéſi ſtat.

QUOMODO PINGI SOLERENT A VETERIBUS FAVOR, EIUSQUE contrarium. Cap. XXXI.

Cum iis qui de Pacificatore habitu diximus, faciunt, quæ de favoris ejusq; contrarii ſymbolo ſcribit Politianus in miſcellaneis: favorem enim pollicibus preſſis, & ejus contrarium verſis ſignificari ſolitum ait, idq; Horatii, Juvenalis, Plinii & Prudentii authoritate probat. Sic namq; ait Horat. in primo Epiſtolarum, 18. Epiſt.

Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te, *Fautor utroq; tuum laudabit pollice ludum.*

D Juvenalis vero hoc modo:

- - - - *Et verſo pollice vulgi,*
Quemlibet occidunt populariter.

Plinius autem libro Naturalis Hiſtoriæ vigeſimo octavo, *Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur.* Et Prudentius,

Et quoties victor ferrum jugulo inſerit, illa
Delicias, ait eſſe ſuas, pectuſque jacentis
Virgo modeſta jubet converſo pollice rumpi.

Ex quibus patet, eos qui faverent, pollicem premere; qui vero favorem denegarent, vertere ſolitos.

Num eadem ſtatua, de qua Pierius li: 35. in Pacificator, geſtus hic refertur aliter à Pierio lib. 26. in Pacificatio.

Favoris, & contrarii figura. Idem à Pierio li. 36. in Favor. traditur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN